



PIUS PAPA SEXTUS

Ad perpetuam rei memoriam.

ILLUSTRUM pietate, atque excellenti Catholicæ Religionis studio insignium Heroum cultus, ac veneratio dum maxmé excitat Fidelium animos, eosque inflammat, ut honorabilem Deum in Sanctis suis magna, ac mirabilia facientem adorent spiritu, & veritate; tum illos invitât allicitque, ut præclara eorum gesta, qui strenuè viam divinorum mandatorum cucurrerint, exequantur. Huiusmodi enim est spectatæ virtutis ratio, ut quos solemni veneratione prosequimur, etiam simili conversatione sequamur, quos beatissimos prædicamus, ad eorum beatitudinem tota aviditate curramus, quorum delectamur præconiis, sublevemur eorum patrocinis. Ecquis autem mendicus erit, qui sociis, amicis, contubernalibus suis omni deliciarum genere extractam à Rege locupletissimo mensam inspiciens vel tantæ liberalitatis magnificentiam non admiretur, vel ante januam adhuc jacentem sese sustentari saltem de micis, quæ cadunt de mensa Regis non possulet, immo non etiam confidat, tanta ciborum ubertate plenissimè se saturatum iri? Pauperes Nos quidem certè facti sumus nimis; Dominus autem virtutum ipse est Rex Gloriæ, qui fidelibus suis divinas avidè esurgentibus epulas non modo cibaria mittit abundantia, sed è difficili via revocatos in patriam, deliciis omnibus, bonisque sic replet, ut egestati etiam nostræ facile ipsi possint opportunam opem implorare. Quamobrem omnium Ecclesiarum gerentes sollicitudinem numquam majori gaudio abundamus, quàm cum beatis Viris, qui coronam iustitiæ iam sint affecuti, maturum Nobis sit Altarium honores decernere; Divina enim nixi Clementia certò confidimus, eosdem hos ipsos, qui in terris degentes præclarissima exempla vindicandæ Religionis, imitandæque virtutis posteris reliquerunt, atque plurimum cæteris præstiterunt charitate, in potentias Domini ingressos & nobis Petri navem assidua tempestate iactatam sollicitè gubernantibus, & Ecclesiæ universæ adfuturos. Alios inter egregiæ virtutis cultores apparuit diebus istis Dei Famulus LAURENTIUS A BRUNDUSIO, qui inclyti Ordinis Minorum Sancti Francisci, quos Capucinos vocant, disciplinam complexus assiduæ orationi, prædicationi Evangelii, proximorum saluti, vitæ austeritati sic incubuit, ita Charitate, Spe, Fide, omnique virtutum genere refulsit, ut non amplius ispe sibi, sed uni Christo, atque Christus in ipso continenter viveret. Cum itaque maturè diligenterque discussis, & perpensis per Congregationem Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium sacris Ritibus præpositorum Processibus de huius Sanctæ Sedis Apostolicæ licentia confectis super vitæ sanctitate, & virtutibus tam theologicis, quam moralibus in gradu heroico, quibus SERVUM DEI LAURENTIUM A BRUNDUSIO, Sacerdotem professum Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum multipliciter claruisse, & super Miraculis, quæ ad eius intercessionem ad manifestandam hominibus eius Sanctitatem a Deo edita, & patrata fuisse dicebantur, eadem Congregatio coram Nobis constituta, auditis etiam Consultorum suffragiis, uno spiritu, unaque voce censuerit, posse quancumque Nobis videretur, predictum DEI SERVUM, donec ad actum solemnis illius Canonisationis deveniatur, publicè BEATUM declarari cum solitis indultis: Hinc est, quod Nos piis, atque enixis nonnullorum Venerabilium Fratrum Antistitum, Universitatum, ac totius memorati Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capucinorum, ac nominatim Bernardini a Prato eiusdem Ordinis Sacerdotis professi huius, aliarumque Causarum Servorum Dei dicti Ordinis Postulatoris supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de eorundem Cardinalium consilio, Auctoritate Apostolica tenore præsentium facultatem concedimus, atque impartimur, ut idem DEI SERVUS LAURENTIUS A BRUNDUSIO BEATI nomine nuncupari; eiusque Corpus, & Reliquias venerationi Fidelium, non tamen in Processionibus circumferendas, exponi; Imagines quoque radiis & splendoribus exornari; Officiumque, & Missam de eo in singulis annis die VII. Mensis Julii de Communi Confessorum non Pontificum cum Oratione propria a Nobis approbata, iuxta Ritum Missalis, & Breviarii Romani recitari liberè, & licitè possit, ac valeat. Porro recitationem Officii, & Missæ celebrationem huiusmodi fieri concedimus, dumtaxat in universo Ordine minorum Sancti Francisci Capucinorum utriusque sexûs; in Oppido Villæfranchæ del Vierzo, ubi Venerabile ejus Corpus requiescit; in Civitate Ulyssiponensi, in qua ad suprema gaudia e-

volavit; ac denique in Civitate Brundisii, in qua ortum habuit, ab omnibus utriusque sexus Christi fidelibus tam Sæcularibus, quam Regularibus, qui ad Horas Canonicas tenentur; & quantum ad Missas attinet, etiam ab omnibus Sacerdotibus ad Ecclesias, in quibus festum peragetur, confluentibus. Preterea hoc anno dumtaxat, videlicet post præsentis Literas emanatas, & quoad Indiam a die quæ eadem Literæ illuc pervenerint, inchoando, in Ecclesiis Ordinis, & præfatarum Civitatum Solemnia BEATIFICATIONIS EJUSDEM SERVI DEI cum Officio, & Missa sub ritu duplici Majori ab Ordinariis respectivè constituta, postquam tamen in Basilica Principis Apostolorum de Urbe celebrata fuerint eadem Solemnia, pro qua re diem primam Junii assignamus pariter celebrandi facimus potestatem. Non obstantibus constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis ac Decretis de non cultu editis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut ipsarum præsentium Licentiarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu Secretarii præfate Congregationis Cardinalium subscriptis & sigillo Præfecti ejusdem Congregationis munitis, eadem prorsus fides ab omnibus, & ubique tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIII. Maii MDCCLXXXIII. Pontificatus Nostri Anno Nono.

PRO DOMINO CARDINALI DE COMITIBUS

B. Mariscottus Substitutus.

Loco † Sigilli.

IN FESTO B. LAURENTII A BRUNDUSIO

SACERDOTIS ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI CAPUCINORUM

ORATIO.

Deus, qui ad ædificandam quæque pro Nomine tui gloria, & animarum salute BEATO LAURENTIO Confessori tuo spiritum consilii, & fortitudinis contulisti, da nobis in eodem spiritu, & agenda cognoscere, & cognita ejus intercessione perficere. Per Dominum &c.

SECRET A.

Ad Cœleste convivium fac nos, Deus, salutaribus poenitentiae lacrymis dignos accedere, quod BEATO LAURENTIO Vitæ candor suavissimum efficiebat. Per Dominum &c.

POSTCOMMUNIO.

DIVINITATIS tuæ, Domine, sempiterna fruitione satiemur, quam BEATUS LAURENTIUS in Sacro Altaris Mysterio prægustabat. Per Dominum &c.

DECRETUM.

Brundusina Beatificationis, Canonisationis B. LAURENTII A BRUNDUSIO
Sacerdotis Professi Ordinis Minorum S. FRANCISCI CAPUCINORUM

Ad humillimas preces P. Fr. Bernardini a Prato Sacerdotis professi Ordinis Minorum S. FRANCISCI CAPUCINORUM, & Postulatoris SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PIO PP. SEXTO porrectas pro approbatione superscriptarum Orationum in memoriam BEATI LAURENTII a BRUNDUSIO Sacerdotis professi ejusdem Ordinis SANCTITAS SUA, ad relationem R. P. Caroli ERSKINE Fidei Promotoris, prædictas Orationes benigne approbavit, facultatemque tribuit, ut recitari valeant Solemni die BEATIFICATIONIS præfati B. LAURENTII a BRUNDUSIO, & successive in Officio, & Missa juxta Breve ejusdem BEATIFICATIONIS, contrariis quibuscumque non obstantibus. Die 21. Maij 1783.

J. Card. Archinto Præfectus

Loco † Sigilli

C. Airola S. R. C. Secretarius

VARSAVIÆ

Typis PETRI DUFOUR Typog. S. R. M. & Reip.